



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

12. Etsi Propheta &c. Concedit Indulgentias Festum Beatæ Mariæ de Nive  
in Provincia Rothomagensi celebrantibus: Anno 1454.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANN O  
1454.

nissimo Principe tutore ac defensore frui, diutius valeamus.

Hæc licet prolixiori oratione coram venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus præfato Archiepiscopo perstrinximus: adjicientes nos Christianissimi Francorum Regni non aurum scire, non divitias, sed animarum salutem: & cum à nobis Oratores & Legati destinati fuere, non insedit cordi nostro ulla rerum temporalium cupiditas, ulla sitis habendi quæ temporalia sunt & transientia, nec permanent; sed nos de æternis rebus, hoc est, de animarum salute fuisse sollicitos. Unde & impræsentiarum pariter obsecramus, ut non credat Serenitas tua, nos aliud velle, aliud intendere, nisi quæ animarum salutem consulat, & ab itineribus damnationis eripiant. Nam in his excusationis locus non est propter ignorantiam. Nam in hoc præcipue verificatur illud Apostolicum dictum: *Qui ignorat, ignorabitur*. Itaque rogavimus & rogamus, ut quæ sine læsione conscientie servari non poterunt, dignaretur tua Serenitas è medio removere. Nam quid prodest homini si universum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Una est enim Ecclesia, una est fides ipsius, eadem debent esse leges, quibus tota & in toto orbe gubernatur & regitur. Nec licet alicui quicumque potestate præfulgeat, qui vult esse ovis gregis Domini, & inter illas numerari, quæ Petro à Christo commissa sunt, cum dictum fuit illi: *Pasce Agnos meos*: se ab illis legibus propriâ auctoritate subtrahere: nec dubitare debet qui contrarium fecerit, se illas poenas incurere, quæ Canonum & Ecclesiasticarum legum transgressoribus infliguntur; & contrarium sentire, idem esset quod dubitare de potestate clavium. Nos si ista raderemus aut non nosceremus, Nos successorem Petri, cui oves Dominicæ commissa sunt; aut Celsitudinem tuam à Dominicarum ovium numero videremur excludere, & apud illum æternum Pontificem qui judicaturus est vivos & mortuos, cujus vicem in terris gerimus, silentii nostri rationem minimè assignare possemus. Hæc quæ impræsentiarum summam attingimus, latius diximus præfato Archiepiscopo, Serenitati tuæ per ipsius organum uberius explicanda, cui fidem plenam tua Celsitudo adhibere dignetur super his, ac etiam super nonnullis aliis particularibus negotiis, quæ sibi commissimus præfata Serenitati tuæ referenda. Cui nos & Apostolicam sedem cum universa Christi Ecclesia affectuosissimè commendamus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno sexto.

XII.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I. Col.  
1829.

Concedit Indulgencias Festum Beatæ Mariæ de Nive in Provincia Rothomagensi celebrantibus: Anno 1454.

NICOLAUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**E**tsi Propheta dicente, Dominum in sanctis suis laudare deceat: quanto magis Regina Cælorum Virgo Dei Genitrix gloriosissima, flos sanctitatis, vas Cælestis gratiæ, mundissima, omnium Virtutum floribus redimita, Mater Gratia, Mater misericordiæ, humani generis consolatrix, quæ illum, quem Cæli ca-

pere non poterant, suo gremio pertulit, pro tam salubribus, tamque copiosis beneficiis, quæ ejus intercessione populus Christianus evidentibus Miraculis quotidie recipit, devotè meretur singulis diebus, & præsertim his, in quibus eisdem Populo manifestè apparuit, & prodigia fecit, veneratione collaudari, ut ejus memoria celebrior habeatur, ac fideles ipsi, præter temporalia commoda, spiritualia etiam stipendia consequantur. Cum igitur dilectus frater noster Guillelmus, tituli S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis de Estouteville Archiepiscopus Rothomagensis ferventissimo Zelo devotionis indutus, cupiat ut in suis provincia & Diocesi Rotomagensi, festum beatæ Mariæ de Nive, quod est quinta die mensis Augusti, annis singulis perpetuo celebretur, mandantes omnibus singulis Episcopis, ac Prælatibus ejusdem Provincie, quatenus publicè in Ecclesiis præcipiant eisdem Fidelibus per hujuscemodi, eadem die debeant, & teneantur celebrare. Et nihilominus ut Fideles ipsi eo libentius ad colendum festum ipsum inducantur, quo inde dono gratiæ cælestis uberius conspexerint se refectos: de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus verè poenitentibus, & confessis dictum festum devotè colentibus, qui in Rotomagensi, & aliis Cathedralibus, Collegiatis, Conventualibus, & Parochialibus Ecclesiis, Monasteriis, & Prioratibus quoruncunque Ordinum etiam mendicantium exemptis, & non exemptis dictæ Provincie, majori Missæ in die ejusdem Festi personaliter interfuerint septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis poenitentibus perpetuo misericorditer relaxamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, mandati, & relaxationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hæc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1454. non. April. Pontificatus Domini nostri anno octavo.

Alonso Lusitanæ Regi cujus Filius Henricus studio iter in Indiam Orientalem aperiendi usque ad Guineam & Nigrum Fluvium penetraverat, & Insulas varias detexerat, Imperium Guineæ, & potestatem Barbariæ Regna subjiciendi concedit, prohibens ne alii sine Lusitanorum permissione ad eas oras navigent: Anno 1454.

**R**omanus Pontifex Regni cælestis clavigeri successor, & Vicarius Jesu Christi: cuncta mundi climata omniumque nationum in illis degentium qualitates paternè consideratione distans, ac salutem quærens & appetens singulorum, illa perpensa deliberatione salubriter ordinat & disponit, quæ grata divinæ Majestati fore conspicit, & per quæ oves sibi divinitus creditas ad unicum ovile Dominicum reducat & acquirat eis felicitatis æternæ præmium, ac veniam impetret animabus, quæ eò certius, auctore Domino provenire credimus, si condignis favoribus & specialibus gratiis eos Catholicos prosequamur Reges & principes, quos veluti Christianæ fidei athletas & intrepidus pugiles, non modo Saracenorum caterorumque infidelium Christiani nominis inimicorum feritatem reprimere, sed etiam ipsos eorumque regna ac loca, etiam in longissimis, nobisque incognitis partibus consistentia, pro defensione & augmento fidei debellare, suo

ANN O  
1454.

XIII.  
Ex Cod.  
Diplom.  
Leibnitii  
Tom. I. pag.  
406.